

**TRINITARIAN THEOLOGY AND PHILOSOPHICAL ISSUES V:
Oxford Dominicans: William of Macclesfield and Hugh of Lawton**

Chris Schabel and Russell L. Friedman*

This is the fifth and final entry in a series of articles including editions of questions on the procession of the Holy Spirit from the late 13th century and from early 14th-century England. As far as we know, this exhausts the Oxford discussion in the period.¹

I. William Macclesfield, OP: Disputed Question on the *Filioque*

A.G. Little collected some information about William of Macclesfield in *Oxford Theology and Theologians*.² Macclesfield is connected with his Oxford confrère Richard Knapwell for the composition of one of the Dominican *Correctoria corruptorii*

* Once again thanks to Sten Ebbesen for his careful and helpful reading of the Latin texts. We also thank Girard J. Etzkorn, Hester G. Gelber, the Worcester Cathedral Library (and David Morrison), and the Special Collections of Birmingham University Library for assistance and reproductions of the mss. The University of Cyprus provided funds for their purchase and for a trip to the Vatican, where the Lawton manuscript was inspected *in situ*. Friedman's work was supported by a fellowship from the Alexander von Humboldt Stiftung, and was carried out while resident at the Thomas Institute of the University of Cologne. In the editions we have not noted scribal self-corrections of any kind, and have always employed a principle of charity. Abbreviations used and editorial conventions adhered to are standard and as noted in the first two articles in this series (see *CIMAGL* 72 [2001], pp. 97-98; *CIMAGL* 73 [2002], p. 24) to which should be added: \.../ = in mg. vel inter lineas; *** = lacuna a scriba indicata; <<...>> = margine resecta deperditum in codice integro extitisse putamus. In the Macclesfield text, (...) = putamus extitisse unam vel pluras lineas in codice integro quae nunc non possunt legi.

Adam Wodeham's later *Ordinatio* treatment of the issue matches his earlier *Lectura secunda* discussion, book I, d. 11, published in *Adam de Wodeham Lectura secunda*, vol. III, ed. R. Wood and G. Gál (St. Bonaventure, N.Y.: The Franciscan Institute, 1990), pp. 164-73. The discussion in Walter Chatton's *Lectura* I, d. 11, is forthcoming in the edition of J.C. Wey and G.J. Etzkorn, to complement the briefer *Reportatio* I, d. 11 in Walter Chatton, *Reportatio super Sententias, Liber I, distinctiones 10-48*, ed. J.C. Wey and G.J. Etzkorn (Toronto: Pontifical Institute, 2002), pp. 14-25. Mark Henninger has edited and translated Henry of Harclay's *Ordinary Question* 6, forthcoming. For Ockham's *I Sent.*, d. 11, see *Guillelmi de Ockham Opera Theologica*, vol. III, ed. G.J. Etzkorn (St. Bonaventure, N.Y.: The Franciscan Institute, 1977), pp. 345-73. Otherwise, see the earlier segments of this series. For an historical analysis of these texts, see C. Schabel, "Attitudes towards the Greeks and the History of the *Filioque* Dispute in Early Fourteenth-Century Oxford", in W. Brandmüller, E. Chrysos, and O. Kresten, eds., *Acts of the Andros Conference on the Fourth Crusade* (Paderborn, forthcoming). For a doctrinal analysis, see R.L. Friedman, *Intellectual Traditions in the Medieval University: The Use of Philosophical Psychology in Trinitarian Theology among the Franciscans and Dominicans, 1250-1350* (Leiden: Brill, forthcoming).

² A.G. Little and F. Pelster, *Oxford Theology and Theologians, c. A.D. 1282-1302* (Oxford: Oxford Historical Society, 1934), pp. 271-75. See also A.B. Emden, *A Biographical Register of the University of Oxford to A.D. 1500* (Oxford, 1957), vol. 2, pp. 1200-01; Frederick J. Roensch, *Early Thomistic School* (Dubuque: Priory Press, 1964), pp. 51-57 and 218-23; J.I. Catto, "Theology and Theologians 1220-1320", in *The History of the University of Oxford*, vol. 1, *The Early Oxford Schools*, J.I. Catto, ed. (Oxford, 1982), pp. 471-517, *passim*, esp. pp. 502-03; W.J. Courtenay, *Schools and Scholars in Fourteenth-Century England* (Princeton, 1987), pp. 63 and 178-79; R. Sharpe, *A Handlist of the Latin Writers of Great Britain and Ireland before 1540* (2nd ed.: Turnhout, 2001), p. 784, # 2113.

written against the Franciscan William de la Mare's attack on Thomas Aquinas. The date of composition is uncertain, however, and the firm dates we have for Macclesfield range from his licensing to hear confessions in the Lincoln diocese on 11 October 1300 to his *de facto* posthumous promotion to cardinal by Pope Benedict XI on 18 December 1303. Little guesses that Macclesfield was Dominican regent master at Oxford in 1299-1300, although 1301-02 is also a possibility.

Besides the *Correctorium*, what we have from Macclesfield survives in the famous miscellaneous codex Worcester Cathedral, MS Q. 99, which contains some ten of his questions, no doubt dating to his regency.³ Four of these questions deal with the procession of the Holy Spirit, but here we print only question 17 of quire 2, the counterfactual question whether without the *Filioque* – the Latins' claim that the Holy Spirit proceeds from the Father and the Son – the Son and Holy Spirit would still be distinct. Unfortunately Q. 99 is severely damaged, but the short question is interesting for its concise presentation of the major arguments traditionally used on both sides of the issue.⁴ It should be noted that Worcester Q. 99 is a student notebook; thus, the text presented below is not Macclesfield's authorized text. The question edited here may have been either an ordinary disputed question or a quodlibetal question. The fact that Macclesfield's determination is recorded in a spot in the manuscript physically separated from the rest of the text would seem to indicate that the oral disputations corresponding to these two parts took place on different days. With regard to the question's content, Macclesfield unsurprisingly comes out for the Dominican tradition, although the Franciscan William of Nottingham, writing around 1306-08, mentions Macclesfield as having held a quite controversial view on this matter.⁵

II. Hugh of Lawton, OP: I *Sentences*, d. 11

Hester Gelber⁶ has established that the Dominican Hugh of Lawton's citations of his English colleagues give us a *terminus post quem* of 1326-27 for *Sentences* lectures that she assigns to Oxford, while the fact that the Dominican William Crathorn cites Hugh in lectures of 1330-31 provides a *terminus ante quem* of 1329-30. The commentary on the first 17 distinctions of the *Sentences* contained in Vat. lat. 829 beginning on folio 149ra "almost certainly" belongs to Lawton, since afterwards in that manuscript questions from books II and IV are assigned to Lawton explicitly, and Gelber amasses other evidence. In our questions from distinction 11, Lawton defends Thomas Aquinas

³ The manuscript is also described in detail in *A Descriptive Catalogue of the Medieval Manuscripts in Worcester Cathedral Library*, ed. R.M. Thomson with M. Gullick (Woodbridge: Boydell & Brewer, 2001), pp. 183b-84b (and plate 35b is from the ms.).

⁴ In the text, we have marked in bold the paragraph numbers of those arguments that represent a generally Franciscan approach to the question.

⁵ See on this, *CIMAGL* 72 (2001), p. 94, and for the mention in Nottingham's text loc. cit., p. 135, ll. 289-303, and cf. n. 76 on that page.

⁶ Hester G. Gelber, *It Could Have Been Otherwise. Contingency and Necessity in Dominican Theology at Oxford, 1300-1350* (Leiden-Boston: Brill, 2004), pp. 85-87, with extensive bibliography.

against William of Ockham, exactly as one might expect from a Dominican writing in the late 1320s. Lawton's attacks on Ockham in some ways parallel those of the Franciscans Walter Chatton and John of Rodington, saying that Ockham's arguments for the *Filioque* would not carry any weight against the Greeks (a point which Ockham himself admits in any case: OTh III, p. 371, ll. 8-20). Accordingly, although Lawton ostensibly defends Aquinas' claim that the *Filioque* is necessary to preserve the distinction between the Son and the Holy Spirit, he appears to contradict himself in his overall conclusion by remarking that the Greeks would still not be convinced because no evident argument or demonstration exists to prove Aquinas' point (ll. 250-59). One might then wonder why Lawton maintained its necessity in the first place.

The manuscript, in a beautiful rounded English hand, is certainly not the archetype, since there are omissions *per homoioteleuton*, some of which were corrected in an awkward fashion. Nevertheless the text it provides is good. We have relied on a microfilm copy of the manuscript, checked *in situ*.

GUILIELMI DE MACKLESFIELD: QUAESTIO DISPUTATA DE FILIOQUE

[1] <Q>ueritur an Spiritus Sanctus distinguatur \a Filio/, posito quod non procedat ab eo.

[2] Quod sic, per auctoritatem Anselmi.¹

[3] Item, per filiationem constituitur, igitur etc.

[4] Item, si non, non posset esse causa nisi quia non esset tanta pluralitas in principiando; sed non requiritur hoc, quia non oportet tantam diversitatem in principiis sicut in principiatis, sicut \ab/ uno homine potest procedere filius et ymago pingendo.

[5] Dicitur quod non, quia omnis distinctio formalis requirit ordinem inter distincta; <<sed in>> divinis solum est distinctio formalis; igitur. Et non per absoluta, igitur <<per rela>>tiva. Sed si non procederet, non esset ordo rel<<ativus>>.

[6: ~2] Ad primum, Anselmus supponit quod in hoc quod Spiritus Sanctus procedit <<a Patre, etiam>> procedit a Filio, sicut probat post.

[7: ~3] Ad aliud, quod distinctio <<relativa>> potest esse per relativam oppositionem vel contradictionem. Secundo modo opponitur Spiritus Sanctus – etsi non procedat – cuilibet disparato et non-enti. Sed hec /22vb/ non sufficit ad distinctionem personarum, sed prima.

[8: ~4] Ad aliud, quod si plura sint principia et unum principium, hoc est per aliud quam per respectum diversum ad principium, ut per diversa materialia vel aliquid huiusmodi, sicut in exemplo proposito.

¹ Anselmus, *De processione* 1 (ed. Schmitt, v. 2, p. 178, ll. 13-15, p. 179, ll. 12-14): "... Filius Deus est de Patre Deo nascendo, et Spiritus Sanctus Deus est de Patre Deo procedendo Haec itaque sola causa pluralitatis est in Deo, ut Pater et Filius et Spiritus Sanctus dici non possint de invicem, sed alii sint ab invicem, quia praedictis duobus modis est Deus de Deo." Cf. infra Par. 49.

[9: ~5] Contra positionem. Contra illud quod ponitur de ordine originis, ille potest alio modo salvari quam quod Spiritus Sanctus sit a Filio, ita quod utrumque a tertio per ordinem immediati et mediati.

[10: ~6] Contra responsionem ad primum, Anselmus in alio loco, capitulo tertio:² "Habent a Patre esse Filius et Spiritus Sanctus, alius nascendo, alius procedendo, et si non per aliud non essent plures, per hoc essent plures." Et ita hoc non videtur inclusum, sed exclusum per dictum suum.

[11: ~7] Contra secundum, loquamur de duobus entibus, ut Filius et Spiritus Sanctus, si contradictorie non sunt eedem persone, si positive distinguuntur, non sunt una persona.

[12: ~8] Item, contra tertium, principium in quantum principium sine addito est unum, igitur principiata eo quod talia sunt plura, et ita non oportet preter respectum principiatorum addere aliud, ad hoc quod sint plura.

[13: ~9] Ad primum, dicitur quod si esset ordo quia utrumque a tertio, et non quia unum ab alio, esset distinctio solum secundum rationem.

[14: ~10] Ad aliud, quod secundum rei veritatem est inclusum, sed non secundum dictum illorum.

[15: ~11] Ad aliud, quod contradictoria possunt verificari de distinctis secundum rationem, ideo etc., similiter* presupponit negatio veritatem alicuius affirmative ubi disparatum predicatur, et ita non primo distinguit.

[16: ~12] Ad aliud, in eadem essentia oportet quod principiata distinguuntur per aliquid positivum.

[17: ~13] Contra primum, quando alia duo sunt res et neutrum de ratione alterius, tunc sunt duo res. Sed si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, iste productiones sunt due res, quia per modum intellectus et voluntatis.

[18] Item, si contradictoria minus habeant de convenientia, plus habent de disconvenientia, igitur si alia faciant distinctionem, multo plus contradictoria.

[19: ~15] Item contra tertium, Filius non potest per priorem rationem distingui a Spiritu Sancto quam per filiationem, igitur Spiritus Sanctus non per priorem quam per non-filiationem.

[20] Item, quod maior sit distinctio in eadem natura in principiatis quam in principiis ostenditur, quia Pater et Filius non sunt principium nisi quia unum; sed Filius et Spiritus Sanctus sunt principiata in quantum diversa; igitur etc.

[21: ~17] Ad primam, dicitur quod, si non, tunc non magis distinguerentur productiones quam dicere et generare, et ita secundum rationem tantum.

[22: ~19] Ad aliud, quod per spirationem primo distinguuntur, per filiationem ex consequenti.

[23] VB/ Ad principale, nihil distinguitur specificè nisi per constituens speciem, igitur nec ypostatice nisi per aliquid constituens ypostasim.

² Anselmus, *De processione* 1 (ed. Schmitt, v. 2, p. 185, ll. 3-4, 10-11).

[24] \C/ Item, ex hoc quod Filius spirat Spiritum Sanctum nihil acrescit Patri, quia nihil recipit Pater ab ipso et in se habet plenitudinem potestatis, igitur circumscripto Filio per intellectum, potest Pater spirare Spiritum Sanctum.

[25] Contra: Filius et Spiritus Sanctus distinguuntur personaliter; sed non communi spiratione, quia non constituit personam; igitur filiatione.

[26] Item, in comparatione ad Patrem, eodem est et refertur, et ideo distinguitur; sed in comparatione ad Spiritum Sanctum, filiatione est et spiratione refertur; igitur non eodem; igitur non eodem constituitur \et distinguitur/.

[27] \C/ Item, due actiones non subordinate habent distinctos terminos; sed quocumque casu posito, generare et spirare sunt huiusmodi; igitur non terminantur ad eandem personam.

[28] \B/ Item, posito quod [terminus*] tollantur omnes differentie hominis preter rationale, adhuc numero et specie distinguitur ab angelo. Similiter, si non sit nisi filiatio in Filio, distinguitur numero a[b] Spiritu Sancto.

[29] Dicitur quod hoc supposito, distinguitur et non distinguitur.

[30] Item, relatio habet duas intentiones, insistentem et ad. Ratio insistendi prima est, ideo circumscripta intentione ut est ad, constituit suppositum. Et per consequens per filiationem et spirationem ut insistentes constituitur (...) /23ra/ generat, spirat eandem personam.

[31] Item, relatio opposita \ut esse ab alio/ presupponit aliam relationem distinctivam, igitur ipsa non distinguit. Antecedens patet, quia filiatio precedit secundum ordinem intelligendi communem spirationem, secundum nos – et etiam secundum Grecos, ordine intelligendi prius <Pater> generat Filium quam spiret Spiritum Sanctum. Consequentia patet per Anselmum,³ quod dominus non distinguit a servo primo, quia presupponit distinctum.

/26ra/ Determinatio Machilisfilde/

[32] \Hec questio est prius posita./ Ad questionem, cum queritur an Spiritus Sanctus distinguatur personaliter a Filio, posito quod non procedat ab eo, salvatis aliis articulis fidei: dicitur quod relatio disparata sufficit ad distinctionem nunc et tunc, posito quod non procedat Spiritus Sanctus a Filio, et ista <distinctio> \personarum/ reducitur ad distinctionem notionum, et illa ad distinctionem principiorum.

[33] Unde dicunt quod tanta est distinctio secundum formam tunc et nunc, sed non secundum suppositum in terminis.

[34] Contra: utrobique est paritas distinctionis secundum relationem disparatam et non secundum terminum, igitur nulla <alia> est distinctio in terminis quam secundum relationem disparatam.

[35] Sed dico quod spiratio actio in Filio distinguitur realiter a generatione, quia oritur ab ea.

³ Anselmus, *De processione* 2 (ed. Schmitt, vol. 2, p. 187, ll. 9-11): "Ut cum dicitur homo dominus alicuius aut homo alterius hominis, prius intelligitur alius ab illo cuius esse dicitur quam sit eius dominus vel homo."

[36] Ideo dicunt quod non solum per relationem disparatam distinguitur, sed per ordinem originis, non sic quod originetur a Filio positive, sed presupponit ista processio generationem Filii, et ita negative.

[37] Contra: tunc iste ordo distingueret velle et intelligere in divinis, quia velle presupponit intelligere.

[38] Si dicas quod alia sunt essentialia et ista realia, quero a quo hoc est quod ista sunt realia.

[39] Aliter dicitur quod, posita ypothesi, nullo modo distinguuntur Filius et Spiritus Sanctus sicut Greci posuerunt, salva essentia et aliis articulis quos Greci ponunt. Cuius ratio est quia in divinis non est distinctio per absolutum, quia tunc duo dii. Nec per relationem oppositam per casum, nec per disparatam, quia tunc Pater distingueretur a se ipso.

[40] Tu dices quod maior est unitas in principio quam <in> principiatis. Similiter, relationes disparate sunt in Patre subsistente uno, sed in aliis personis sunt duo subsistentes relationes disparate.

[41] Contra: sola ratio principiati non concludit multitudinem, quia tunc Filius non esset ita unus sicut Pater. Nec in humanis.

[42] Similiter, duo concurrunt ad principiandum Spiritum Sanctum et ita etc.

[43] \prima ratio/ Similiter, principiatur sequitur formale principium in unitate et multitudine; sed posita ypothesi, nec ex parte notionum Patris nec essentialium sit distinctio nisi secundum rationem; <ergo> Filius et Spiritus Sanctus non distinguuntur nisi secundum rationem, quod est falsum.

[44] Similiter, dato quod per unum principium formale vel plura producuntur alia, nisi sit distinctio ex parte terminorum non potest inveniri maior distinctio ex parte principiatorum quam principii, sicut ponitur exemplum de Filio et ymagine. Nec potes ponere pluralitatem ex parte contradictionis quia genitum est non-spiratum, quia tunc Pater esset diversum suppositum, quia essentia est communicabilis, relatio non communicabilis, et ita dicam tibi quod Filius et Spiritus Sanctus sunt unum suppositum et una relatio constituens et alia adveniens.

[45] Nunc circa evidentiam. <<Ratio* Anselmi>>:⁴ “Deus est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, igitur (...)”; igitur de (...) /26rb/. Unde supponit Anselmus quod unus Deus et tres persone, et quilibet perfectus Deus, cum Grecis, et ideo Greci haberent ex ypothesi sua negare istam: ‘Deus est de Deo’.

[46] Unde nota quod omnia ad essentielle secuntur in Deo [in divinis] ubi non obviat contradictio, et similiter ad notionale, et ponitur exemplum.

[47] Unde cum Filius procedat a Patre per modum operationis intellectus, omnia communicantur Filio sub eodem respectu, et non sub opposito, et igitur/, cum Pater sit spirator, et oportet dicere quod sit Filius spirator; sed si Filius procederet per modum intellectus et voluntatis simul, non posset spirare.

⁴ Non invenimus apud Anselmum.

[48] Item, quando quis productus est et non potest in actum quo producit, non est impotentie, sed si aliqua alia persona vel creatura posset produci a Patre producente et non a Filio producto, non esset Filius equalis potentie cum Patre.

[49: ~2] Ad responsionem. Ad auctoritatem Anselmi, *Processio*, capitulo primo, dicendum quod Anselmus accipit hic quod per \hoc/ solum distinguuntur Filius et Spiritus Sanctus: distinguuntur quia in hac causa latenter includitur alia, quam post ponit manifeste. Unde sequitur, si sit a solo Patre, sequitur quod a Filio, ut post probat Anselmus, et non excludendo \scilicet/ quod non a Filio procedat. Unde non excludit illud, sed includit, quia ex hoc quod Pater et Filius sunt unus Deus et Deus de Deo, concludit quod et a Filio.

[50] Et fundat Anselmus se super rationem Augustini ***,⁵ quod 'solus' additum in divinis non excludit aliam personam nec aliquid nisi ubi obviat oppositio contradictionis, sicut girum celi cercini. 'Sola' non excluditur Pater. Sed si procederet de Patre solo in quantum Pater distinguitur a Filio, non procederet a Filio Spiritus Sanctus.

[51: ~3] Ad aliud, quod idem per quod constituitur distinguitur ab omni alio, sed alio modo ut per oppositionem et disparationem, sicut ponitur exemplum de saphiro, sic Filius per filiationem a Patre per oppositionem, a Spiritu Sancto per disparationem.

[52] Nota quod in creaturis est maior oppositio secundum speciem quam secundum numerum, quia una includit aliam, sed in divinis econtra, sicut Pater et Filius magis distinguuntur quam paternitas et spiratio activa, et ideo non sequitur: 'Distinguuntur specie, igitur numero'.

[53] Similiter, dicitur quod oppositio contradictionis numquam distinguit realiter nisi fundentur super absoluta vel relationes oppositas.

[54] Similiter, quando distinguitur relatio a disparato, non distinguitur per modum relativi, sed absoluti, quia illa communis est omnibus, et absolutis et relativis. Tunc dico quod maior est intelligenda in creaturis, scilicet quod per idem constituitur et distinguitur ab alio, quia oportet salvare unitatem essentie in divinis, propter quod est, scilicet <Spiritus Sanctus> [est] a Filio sicut a Patre.

[55: ~4] Ad aliud, dicitur quod vis generativa et spirativa primo de significato important essentiam, et sic non magis distinguuntur nunc quam tunc. Alio modo ex adiuncto <important> notiones, ut paternitatem, et sic magis distinguuntur nunc quam tunc, quia nunc spiratio in Filio connotat filiationem, sed in Patre paternitatem.

⁵ Fortasse Augustinus, *De civitate Dei*, XI, 10, n. 1 (CCSL 48, p. 330, ll. 12-19): "Et haec trinitas unus est Deus; nec ideo non simplex quia trinitas. Neque enim propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus aut solus Filius aut solus Spiritus Sanctus, aut vero sola est ista nominis trinitas sine subsistentia personarum, sicut Sabelliani haeretici putaverunt; sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet hoc est, excepto quod relative quaeque persona ad alteram dicitur."

Hugonis de Lawton O.P. *In primum librum Sententiarum*, distinctio 11

Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio.

Quod non, quia Pater sufficit ad producendum, igitur superfluit ponere Filium producere.

Ad oppositum: Spiritus Sanctus non distingueretur a Patre et Filio nisi ab eis procederet vel e converso, quia personae ponuntur distingui per relationes originis; sed certum est quod
 5 <Pater et> Filius non procedunt a Spiritu Sancto; igitur etc.

Praeterea, in symbolo est ab Ecclesia determinatum quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio.

In illa quaestione tenebo duas conclusiones, quarum prima erit pars affirmativa quaestionis, secunda quod Spiritus Sanctus non distingueretur ab illis nisi ab utroque procederet.

10

<Conclusio prima>

<Probatio Thomae Aquinatis>

Prima persuadetur tripliciter per Sanctum Thomam, prima parte, quaestione 36, articulo secundo.¹ Primo sic: Si non, non distingueretur ab illis. Consequens falsum, et contra articulum <fidei>. De isto magis in secunda conclusione.

15 Secundo sic: "Filius procedit per modum intellectus ut Verbum, sed Spiritus Sanctus per modum voluntatis ut Amor procedit" a Verbo seu notitia, sicut patet in imagine creata.

Tertio, idem patet ex ordine rerum, quia numquam plura ab alio uno procedunt "absque ordine nisi tantum in illis quae materialiter differunt," sicut patet in multis cultellis productis ab uno fabro materialiter et nullum ordinem ad invicem habentibus; igitur in personis
 20 productis formaliter differentibus oportet esse ordo productionis. Sed alius ordo in ipsis non potest inveniri nisi quia una persona est ab alia vel ab aliis; igitur etc.

<Impugnatio Guillelmi de Ockham probationis Thomae>

Istas rationes reprobatur Willelmus,² quia prima non valet, secundum eum, sicut patebit in conclusione secunda.

25 Secunda etiam non concludit, nec [secundum] etiam secundum Thomam, sicut dicit. Quod probat sic: "Amor cuiuscumque obiecti sufficienter producitur ab illo obiecto, vel potentia, vel cognitione obiecti, vel ab omnibus istis simul, vel aliquibus eorum simul. Sed quando aliquod singulare diligibile extra diligitur, verbum – secundum istos – nec est obiectum, quia tunc verbum non produceretur, sicut nec illud obiectum producitur; nec
 30 verbum, secundum eos, est ipsa cognitio nec ipsa potentia. Igitur verbum tunc non habet rationem principii respectu amoris producti. Igitur non est universaliter verum quod amor a verbo procedit."

"Si dicatur quod, secundum illum, verbum est conceptus mentis a quo procedit amor, contra: amor sufficienter procedit a notitia concipientis et a potentia, quia posita notitia,
 35 maxime qua[e] iudicatur aliquid /195rb/ esse" diligibile et "diligendum, omni alio circumscripto, potest sequi amor, immo necessario sequitur, secundum istos. Sed verbum

¹ Thomas de Aquino, *S. theol.* I, q. 36, a. 2.

² Guillelmus de Ockham, *Scriptum in librum primum Sententiarum (Ordinatio)*, d. 11, q. 1 (*Opera theologica* III, ed. G.J. Etzkorn, St. Bonaventure, NY, 1977, pp. 347.4-348.4, 348.10, 12-14), contra Thomam de Aquino, *S. theol.* I, q. 27, a. 2, ad 2; I, q. 27, a. 3, ad 3; I, q. 34, a. 1, resp; I-2, q. 27, aa. 1-3.

non est notitia concipientis, <sed procedit a notitia concipientis>, secundum illum alibi. Igitur amor non procedit a verbo, sed a notitia, quae non est verbum secundum istos."

"Confirmatur, quia a notitia intuitiva rei singularis non est necesse procedere aliquid
40 aliud. Igitur potest esse notitia intuitiva sine omni verbo procedente, et tamen tunc potest esse amor. Igitur non est necesse amorem a verbo procedere," si verbum non sit ipsa cognitio, sicut isti ponunt.

"Tertia autem ratio non concludit, quia sicut patebit super secundum,³ Deus potest producere plures angelos eiusdem speciei immediate, qui non aliter habent ordinem quam
45 duo cultelli" producti immediate absque aliquo ordine a fabro.

Reputat igitur Willelmus praedictas rationes non valere.

<Probatio Ockham>

Ad eandem conclusionem ab Ecclesia determinatam adducit⁴ aliam "rationem quam credit ex falsis non procedere," sicut aliae praecedentes, "quamvis contra Graecos non esset
50 sufficiens si omnino vellent protervire," propter quos haec quaestio mota est. Arguit igitur sic: "Quicquid competit Patri est alteri personae \cuilibet/ attribuendum nisi contrarium sit expressum in Scriptura Sacra, vel evidenter sequatur ex praemissis in Scriptura Sacra, vel mediantibus propositionibus per se notis, vel sit ab Ecclesia determinatum; sed Graeci, sicut omnes catholici, concedunt quod Spiritus Sanctus procedit a Patre, nec [ab] aliquo
55 praedictorum modorum invenitur quod Spiritus Sanctus non procedit a Filio; igitur Graeci habent concedere quod Spiritus Sanctus procedit a Filio."

Hanc rationem videtur Anselmus facere in libro *De processione Spiritus Sancti*,⁵ ubi ex unitate et perfecta simplicitate trium personarum arguit quod quicquid attribuitur uni est attribuendum alteri nisi suae relationi seu proprietati repugnet. Unde inter alia verba dicit sic:
60 supponendo omnia dicta a Graecis quae fides ponit, excepta processione Spiritus Sancti a Filio, "sequitur," inquit, "secundum unitatis Dei – quae nullas habet partes – proprietatem, ut quicquid de uno Deo" praedicatur "dicatur et de Filio et de Spiritu Sancto, quia unusquisque solus et perfectus totus Deus est. Supradicta vero relationis oppositio, quae ex hoc nascitur quia supradictis duobus modis Deus est de Deo, prohibet Patrem et Filium et Spiritum
65 Sanctum de invicem dici, et propria singulorum aliis attribui."

<Hugo de Lawton contra impugnationem et probationem Ockham>

Sed contra impactiones Willelmi, arguo primo quod ratio sua quam adducit nihil valet contra Graecos, et quod minorem habet evidentiam quam rationes Thomae, et, si etiam fiat in aliquo colore contra eos, quod falsum assumit. Quia quaero an illa condicio maioris "vel determinatum ab Ecclesia" faciat ad argumentum suum contra Graecos vel non. Si sic, quia scilicet Graeci tenentur concedere determinata ab Ecclesia Romana, de qua, ut suppono, loquitur, igitur frustra, ut laboravit imponendo in eadem maiore alias condiciones, quia suffecisset sic arguere: 'Ecclesia determinavit Spiritum Sanctum a Filio procedere; igitur etc.'

³ Fortasse Ockham, II *Sent.*, q. 18 (*Opera theologica* V, edd. Gedeon Gal et Rega Wood, St. Bonaventure NY, 1981, p. 398.26-399.2).

⁴ Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 1 (ed. Etzkorn, p. 358.2-17).

⁵ Anselmus, *De processione* 1 (ed. Schmitt, v. 2, p. 180.24-30); cf. Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 1 (ed. Etzkorn, p. 360.14-21).

Praeterea, si illa condicio ligaret eos, non possent ipsi vitare rationem et eius
75 conclusionem proterviendo magis quam nostri, quod est contra eum. Patet igitur quod illa
condicio addita non facit colorem aliquem contra eos. Frustra igitur ponitur.

Si autem deviatur et fiat maior cum aliis condicionibus, tunc includit falsum, quia ex illa
cum vera minore sequitur conclusio falsa, scilicet quod Spiritus Sanctus generat sicut Pater,
vel aliquid huiusmodi, quia nec Scriptura Sacra, scilicet canonica, nec ratio evidens
80 contradicit consequens falsum.

Probatio: arguo contra eum, quia male impingit et insufficienter. Primo de prima ratione,
quia illa ratio fundatur et est quasi eadem cum ratione Anselmi, quem allegat /195va/ ille ad
rationem suam.

Quantum ad secundam rationem, falsum sibi imponit, scilicet quod "verbum non sit
85 notitia concipientis." Et quando videtur inducere dictum Thomae in contrarium in prima
parte, quaestione 34, articulo 1,⁶ dicendum quod ibi dicit quod verbum procedit a notitia
concipientis, sed non dicit istam negativam: 'Verbum non est notitia concipientis'. Unde
stant simul quod verbum sit notitia et tamen quod procedit a notitia, quia notitia actualis
procedit a notitia habituali. Et sic loquitur frequenter Augustinus. Et etiam Sanctus Thomas
90 in proposito, ubi ad litteram allegat Augustinum, V *De Trinitate*, in illa quaestione non vocat
verbum 'notitiam', sed quasi conceptionem vel conceptum mentis vel cordis. Vel dicendum
quod Thomas in illa quaestione et<iam> dicit quod conceptus cordis procedit a notitia,
scilicet habituali. Dico etiam quod amor non semper procedit a verbo, ut puta quando non
amat verbum suum actualiter, sed aliquid extra. Sufficit tamen quod procedat a verbo seu
95 conceptu, quando ipsum verbum cognoscitur et amatur modo quo est in divinis. Potest etiam
dici pro Beato Thoma quod respectu obiecti extrinseci amor procedit a verbo. Nec
oppositum probatur.

De responsione autem ad impactionem contra tertiam rationem, expecto usque ad
secundum librum,⁷ sicut ipse expectat.

100 De argumento tertio autem etiam patet quod impactiones suae minus valent, quia arguit
contra rationes suas* tanquam per eas intendisset demonstrasse propositum. Modo autem,
sicut patuit supra, frequenter inducit congruentias seu persuasiones ad multas conclusiones
quas planum est non posse rationibus naturalibus demonstrari modo quo ille dicit rationem
suam non posse concludere contra protervos.

105 <Ad rationem principalem>

Ad rationem principalem, quae est contra praedictam conclusionem, dicendum est negando
consequentiam. Et si arguitur quod quando unum sufficit, plura superfluent, dicendum quod
propositio non habet veritatem quando plura eodem principio et eadem sufficientia numero
producunt et aeque necessario.

110 <Conclusio secunda>

<Probatio Thomae>

Secundam conclusionem probat Sanctus Thomas sic.⁸ Personae non possunt distingui per

⁶ Aquinas, *S. theol.* I, q. 34, a. 1, resp.

⁷ Forte deperditum est.

⁸ Aquinas, *S. theol.* I, q. 36, a. 2, resp.

absoluta; igitur per relationes. Sed non per relationes disparatas; igitur solum per relationes oppositas. Et per consequens nulla persona distinguitur ab alia a qua non procedit vel e
 115 converso. Assumptum patet per hoc quod, si relationes disparatae distinguerent personas, et per consequens constituerent personas, et hoc ubicumque invenirentur indifferenter. Consequens falsum, quia in Patre sunt duae relationes disparatae, scilicet paternitas et communis spiratio, non tamen constituunt duo supposita.

Praeterea, sequeretur quod essent quatuor personae, sicut sunt quatuor relationes.
 120 Consequens absurdum.

<Impugnatio Ockham probationis Thomae>

Contra illam conclusionem arguit Willelmus sic:⁹ "Omne realiter distinctum ab aliquo per aliquid sibi proprium, retento proprio illi, omni alio circumscripto, distinguitur ab eodem realiter. Sed nunc est de facto: Filius distinguitur per filiationem a Spiritu Sancto. Igitur
 125 retenta filiatione, et amota spiratione activa, distinguitur Filius a Spiritu Sancto realiter. Maior est manifesta, quia omne habens aliquid reale realiter distinctum ab alio realiter distinguitur ab eodem reali, quia unumquodque comparatum alteri vel distinguitur ab eo realiter vel est idem realiter, si utrumque sit reale; sed habens aliquid reale realiter distinctum ab alio non potest esse idem realiter cum illo; igitur distinguitur realiter ab eodem.

130 "Similiter, sicut a quocumque distinguitur pars realiter cuius illa non est pars, ab eodem distinguitur realiter, totaliter vel partialiter, totum [de] cuius est illa pars, igitur eodem modo a quocumque constitutum alicuius distinguitur realiter, et ipsum constitutum distinguitur ab eodem realiter. Est igitur universaliter* vera alia maior, quia unumquodque distinguitur realiter a quocumque per aliquid sibi /195vb/ proprium, illo retento, remanebit distinctio
 135 realis ab eodem, omni alio communi amoto. Minor etiam est manifesta, quia quaero an filiatio et spiratio passiva sint una relatio realiter vel non. Si non, habetur propositum, quia unumquodque differens ab alio realiter distinguitur habens ipsum ab illo. Si sic, igitur <sicut> contingit vere dicere quod Spiritus Sanctus spiratur, ita vere contingit dicere quod Spiritus Sanctus generatur vel est Filius. Consequens falsum."

140 Dicit igitur ille quod non tantum distinguuntur relationibus oppositis, sed etiam/ disparatis et generaliter quibuscumque. Unde dicit¹⁰ quod verum est quod personae distinguuntur per relationes oppositas ipsas constituentes, non quia "oppositae, sed primo quia distinctae sunt realiter, in tantum quod, si possent esse oppositae et non distinctae realiter, non distinguerent personas realiter." Nam "hoc est commune omnibus
 145 constituentibus realiter distinctis, sive sunt opposita sive non, sive relationes sive absoluta," scilicet distinguere realiter constituta ab aliis quibuscumque. Unde¹¹ ipsi relationi potest competere respectu plurium distinguere quam referre, quia distinguere est in plus quam referre, quia requirit obiectum.

<Hugo contra Ockham>

150 Contra praedicta, et primo pono conclusionem principalem sic:¹² "Sicut Filius se habet ad

⁹ Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 2 (ed. Etzkorn, pp. 364.16-365.18).

¹⁰ Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 2 (ed. Etzkorn, p. 366.7-17).

¹¹ Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 2 (ed. Etzkorn, p. 367.10-13).

¹² Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 2 (ed. Etzkorn, p. 362.9-13).

Patrem in quantum ab eo producitur, ita Spiritus Sanctus se habet ad Filium in quantum producitur; sed Filius non posset distingui a Patre si non procederet; ergo nec Spiritus Sanctus etc.”

Ad illud respondet Willelmus sic:¹³ quod non est simile hinc inde, “quia nihil est in Filio
155 circumscrip- ta filiatione, quod distinguitur realiter a quocumque existente in Patre, nec est aliquid in Patre praeter paternitatem quo distinguitur realiter a filiatione vel Filio.” Et ideo Filius distinguitur a Patre sola filiatione et Pater a Filio sola paternitate. Et ideo amota paternitate vel filiatione, non distinguerentur ab invicem. Sed Filius distinguitur a Spiritu Sancto spiratione activa sicut etiam filiatione. Et ideo, circumscrip- ta spiratione activa, adhuc
160 distinguitur a Spiritu Sancto per filiationem.

Sed contra: quod illa responsio <non> valeat probo primo ex dictis propriis in illa quaestione, quia dicit quod spiratio activa non ponit in numerum cum filiatione in Filio – immo dicit quod “non sunt quatuor relationes in divinis,” et per consequens non sunt alia duo talia quorum distingueretur uno a Spiritu Sancto, alio amoto.

165 Secundo, quod in Patre essent duo relationes eadem ratione, et per consequens per illud motivum potest esse Spiritus Sanctus distinctus a Patre, et si ab eo non procederet. Et per consequens posset esse spiratum sine spiratione. Consequens absurdum.

Dico igitur quod praedicta similitudine quod si esset nomen impositum, [illa] perfecte exprimens principium productivum spirativum Spiritus Sancti, sicut hoc nomen ‘Pater’
170 exprimit principium productivum respectu Filii, tunc aequae evidens esset haec consequentia: ‘Spiritus Sanctus non procedit ab A, igitur non distinguitur ab A’, sicut haec: ‘Filius non procedit a Patre, igitur non distinguitur a Patre’, quia essentiali necessitate procedit Spiritus Sanctus ab utroque sicut Filius a Patre et essentialiter distinctis relationibus ad invicem referuntur.

175 Secundo arguo ad conclusionem sic: processio Spiritus Sancti a duobus est suum esse vel saltem per ipsam capit, igitur illa non posita sed amota, non ponitur esse eius vel distinguitur. Consequentia est plana, et antecedens conceditur ab omnibus. Sed certum est quod amoto hoc, quod non procedit ab uno, amovetur procedere suum a duobus. Igitur etc.

Tertio sic: eadem spiratione activa et eadem necessitate Pater et Filius spirant, igitur
180 amota spiratione a Filio, amovetur a Patre /196ra/, et per consequens cessat esse distinctio Spiritus Sancti a quocumque, quia cessat esse.

Confirmantur praedicta per Anselmum, *De processione Spiritus Sancti*, ubi capitulo quarto dicit sic, loquens de Spiritu Sancto in comparatione ad Patrem:¹⁴ “Neque,” inquit, “per hoc potest intelligi esse alius a Patre quia est Spiritus Patris, si de illo non habet esse.”
185 Igitur conformi ratione idem est dicendum de Spiritu Sancto respectu Filii.

Item, Anselmus in eodem libro parum ante finem:¹⁵ “Patet,” inquit, “sicut supra promisi praeter hoc quod Filius existit nascendo, Spiritus Sanctus procedendo, hac quoque causa, quia Spiritus Sanctus est de Filio, eos de[m] invicem non posse dici, et propter hoc solum.” Igitur sequitur quod Spiritus Sanctus non distingueretur a Filio nisi ab eodem caperet <esse>.

¹³ Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 2 (ed. Etzkorn, pp. 372.14-373.8).

¹⁴ Anselmus, *De processione* 2 (ed. Schmitt, p. 187.7-8).

¹⁵ Anselmus, *De processione* 15 (ed. Schmitt, p. 215.28-30).

190 Dictas auctoritates allegat Willelmus contra se. Sed ad eas non respondet.¹⁶

Praeterea, contra hoc quod dicit personas posse distingui – immo de facto ipsas distingui – et se invicem non posse dici per relationes non-oppositas: quia auctoritas Anselmi quam ille adducit pro se in prima conclusione¹⁷ est expresse in oppositum, sicut patet eam intuenti, quia ibi habetur quod relationis oppositio hoc facit, et in auctoritate [mediante] allegata
195 parum supra¹⁸ habetur quod “propter hoc solum”.

Praeterea, arguo ex dictis illius conclusionem intentam quam ille negat, ex quibus apparet, ut mihi videtur, quod dicit contradictoria in eadem quaestione. Facio igitur rationem suam in eisdem verbis sic:¹⁹ “Spiritus Sanctus non procedit a Filio, igitur spiratio activa non est in Filio”. Et sequitur, ‘spiratio activa non est in Filio, igitur filiatio non est in Filio’, et
200 ultra, ‘Filius non distinguitur realiter a Spiritu Sancto’. Prima consequentia est manifesta. Secunda probatur, quia quandocumque ali<qu>a sunt idem realiter, quorum unum vel utrumque est proprium [non] illi in quo est, in quibuscumque non est alterum eorum,” quod scilicet est commune, nec reliquum est in eodem quod est illi proprium. Illa propositio vera est, sive utrumque sit proprium illi sive unum illorum sit commune et reliquum sit proprium,
205 quia si utrumque sit proprium alicui, et sint realiter idem, tunc planum est, a quocumque removetur unum, et reliquum, et etiam* cuicumque attribuitur unum, et reliquum. Si autem unum illorum sit commune et reliquum proprium, etiam tunc certum est quod cuicumque inest vel in quocumque proprium invenitur, invenitur commune, sed non e converso. Ad
210 destructionem tamen communis seu amotionem sequitur amotio proprii, sicut ad destructionem consequentis sequitur destructio seu oppositum antecedentis, ut patet de animali et de homine. Exemplum²⁰ etiam ponit in divinis de essentia et proprietate, et patet intuenti. Patet igitur haec propositio maior, quia “quandocumque ali<qu>a sunt idem realiter” etc., ut supra; sed filiatio et spiratio actio sunt idem realiter, et filiatio est propria Filio et spiratio actio communis sibi et Patri; igitur amota a Filio spiratione activa, amovetur
215 filiatio, qua amota, non manet distinctio eius de Spiritu Sancto, sicut patet. Ex quibus omnibus sequitur conclusio principalis, ut in prioribus consequentiis fuit ostensum et argutum, et fere sunt omnia verba sua. Patet igitur quod idem negat et ponit.

Per dicta etiam propria sua potest dici ad rationem suam quam facit ad oppositam conclusionem, quia neganda est maior et maxime in proposito ubi commune et proprium
220 sunt idem realiter, quia ipsemet in illa ratione²¹ accipit pro maiori quod, amoto communi, quod est idem realiter cum proprio, amovetur proprium. Et sic etiam patet, quia una maior est opposita alteri maiori.

Nec probatio quam adducit valet, quia non probat eam, sive illud commune sit idem realiter cum proprio sive non, quod tamen requiretur, si esset sufficiens. Minor etiam posset
225 pati calumniam, quia forte hoc non concederetur in proprio sensu: ‘Filius distinguitur

¹⁶ Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 2 (ed. Etzkorn, p. 364.3-12).

¹⁷ Vide supra, ll. 57-59.

¹⁸ Vide supra, l. 188.

¹⁹ Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 2 (ed. Etzkorn, p. 370.1-8; vide etiam p. 370.13-24).

²⁰ Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 2 (ed. Etzkorn, p. 370.24-25).

²¹ Ockham, *Ordinatio* I, d. 11, q. 2 (ed. Etzkorn, p. 370.20-24).

filiatione a Spiritu Sancto'. Sed haec est magis concedenda: 'Filius distinguitur a Spiritu Sancto seu a spirato spiratione activa'. Et si argueretur: 'spiratio activa est filiatio, igitur <si> spiratione distinguitur' /196rb/, et filiatione distinguitur.

Secundo sic: in illo conveniunt in quo non distinguuntur. Si igitur per filiationem non
230 distingueretur Filius a Spiritu Sancto, igitur sequitur quod esset Filius. Consequens falsum.

Ad primum istorum, dico quod ille modus arguendi non valet in divinis, sicut patuit in praecedentibus.

Ad secundum, <dico> quod maior ex forma sua est falsa, quia personae in nulla una proprietate distinguuntur, quia Pater non distinguitur a Spiritu Sancto spiratione passiva, sed
235 paternitate, et tamen Pater non est spiratio passiva. Unaquaeque igitur secunda sua proprietate distinguitur ab alia.

Secundo, dato quod maior sit vera, minor tamen quae imputatur est falsa, scilicet quod Filius filiatione non distinguitur a Spiritu Sancto, cum filiatio sit relatio quae est opposita spirationi passivae, licet non congruo nomine sit expressa, quod scilicet exprimat
240 oppositionem relativam; quod si esset impositum, importaret simul cum relativa oppositione duas has proprietates, scilicet paternitatem et filiationem, cum earum repugnantia ad Spiritum Sanctum. Cum dictis tamen stat quod haec est impropria: 'Filius distinguitur a Spiritu Sancto filiatione'. Concludit* tamen ad bonum intellectum propter causam praedictam. Dicendum ergo quod, si filiatio non esset quo distinguitur Filius a Spiritu
245 Sancto, ut implicaretur secundum modum oppositionis quemcumque, essent nomina sufficienter imposita, tunc sequeretur quod Spiritus Sanctus esset Filius vel filiatio. Sed sic non est in proposito. Et per illa patet quod probatio minoris principalis nihil facit ad propositum contra dicta.

<Opinio propria>

250 Tenenda est igitur conclusio principalis, licet rationes non habeant evidenciam determinatam contra Graecos, quod certum est quod, ad positionem trium personarum in divinis realiter distinctarum, non sequitur consequentia evidenti quod una procedat ab alia, nec quod sit ali<qu>a oppositio inter ea<s>. Potest enim haberi conceptus distinctorum nullo habito conceptu cuiuscumque oppositionis, saltem relativae – immo de facto multa sunt distincta
255 quae inter se relative non opponuntur, eo quod nullum eorum est vel dependet ab alio, sicut patet in rebus absolutis. Dato etiam quod Graeci ponant processionem in divinis, sicut ponunt, sic quod quaelibet persona procedit ab alia vel quod ab illa procedat alia, tamen evidenti ratione non potest concludi quod una persona procedat a duabus, sicut dictum <est>. Rationes principales solvuntur per praedicta.

Apparatus criticus

9 distingueretur] distinguitur || 36 istos] istas || 48 credit] ut dedit || 92 quasi] quod || 94 procedit] proceretur* || 152 in¹ quantum¹] numquam || 152 in² quantum²] numquam || 153 procederet] proceditur || 166 relationes] anima (!) || 188 promisi] praetermisi || 207 reliquum] realiter || 248 facit] stat || 260 Rationes] rationis